

isset, nisi Paulus sermonem tamdiu protraxisset. Hinc apposite nomen adolescentis fuit Eutyechus, h. e. *bona fortuna*; quia lapsus ipsi et aliis fortunatus fuit. Refertur de S. Augustino, in ejus vita, aliquando ex concione præter intentionem ejus producta, et in ipso cursu, argumento mutato, in Manichæos invecta, secutam esse insignem conversionem alicujus negotiatoris Manichæi nomine Firmi, qui altero die postea ad ejus pedes veniens, errorem deposuit. Ex quo Augustinus intulit sæpe concionatorem duci a Spiritu s. ac dirigi præter ejus intentionem ad dicendum ea quæ minime intendit vel præcogitavit. Testatur etiam Moyses abbas apud Cassianum, collat. 1. c. ult. ex propria experientia quandoque pro merito ac desiderio audientium dici a concionatoribus quæ ipsi non intendunt ac præcogitarant, adeo impulsos a Spiritu sancto vel vetitos, prout, Act. XVI. legimus.

Secundo, alii, quod non videatur eis culta satis vel docta concio, nihilque novæ doctrinæ afferre. Sed respondetur imprimis non decere at in templo nova enarrentur, standum potius antiquis, juxta id Jer. VI. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Antiqua ibi potius ruminanda et inculcanda sunt: *Nunquam enim nimis dicitur, quod nunquam satis discitur*, ait Seneca, epist. XXVII. Non uno statim ictu clavis inungitur, plures addendi sunt: sic etiam veritas peccatoribus præsertim, non prima statim suasionem infunditur. Athenienses carpuntur, Act. XVII. quod: *Ad nihil aliud vacarent nisi aut dicere aut audire aliquid novi.* Interim si quis infaustum aliquid eis nuntiasset, eum graviter muletabant, ut fecerunt tonsori quidam suo, qui cladem Atheniensium in Sicilia acceptam eis nuntiavit. Quia enim triste testimonium tulit et testes non habuit, in rotam eum alligarunt, donec evenirent qui ex clade illa fugerant. Itaque omnes dissipati tonsorem ad rotam reliquerunt, qui tandem a lictore solutus, quæsivit ex eo quid de Nicia, duce exercitus, audierit; num is perierit, ut refert Plutarchus de garrulitate. Sic contingeret concionatori, qui nova pro concione diceret, fidem non inveniret; unde quasi ad rotam alligatus, undique traduceretur. Cultus dictionis valde elegans frustra desideratur in concionatore, siquidem nec ipse Paulus: *Venit in sublimitate sermonis, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, 1. Cor. II. quod etiam demonstratur ex ejus epistolis, nulla elegantia sed rudi calamo scriptis, Cornelius a Lap. et propterea Christus non sapientes hujus mundi, sed rudes alios elegit in apostolos, ne virtus evangelii et conversio mundi tribueretur humanæ sapientiæ. Piscatores etiam hominum voluit eos esse, non culicum et

muscarum, quæ retibus capiuntur aranearum subtilibus ac fragilibus. Sublimem dicendi modum in S. Chrysostomo correcturæ statula, et correctionem ab eo libenter acceptam scimus ex ejus vita.

Tertio, alii, quod eadem sæpius reiterentur et ad nauseam inculcentur. Objectum hoc fuit B. Jordano ord. Præd. generali magistro; qui ad hoc respondit: *Si quispiam bonas herbas legisset, illisque ad pulmentum faciendum accurate præparasset, essetque conveniens illas projicere, et præ aliis colligendis laborare?* In ejus vita, apud Sur. 13. feb. Quæ sæpius iterantur, melius excocata et præparata sunt, quam quæ recenter afferuntur: majori igitur in pretio et æstimatione habenda sunt.

III. Aliqui excipiunt ob propriam personam; primo, quidam se jam sat doctos existimant, proinde non egere alio doctore. Hi tamen scire debent imprimis pisces marinos licet in aquis salsis degant, nihilominus tamen cum coquantur, ut fiant sapidus, indigere sale. Deinde, pisces multi cum in aquis nascantur et versentur, tamen sine cœlesti aqua vivere non possunt. Nam ut Aristoteles, l. VIII. de animal. c. XIX. ait: *Piscium genus maxima ex parte annuis pluviis vivit: ita enim non modo plus cibi nanciscitur, sed etiam omnino pluvio humore juvatur.* Pari modo qui in humanæ sapientiæ aquis versantur, aquas verbi Dei cœlestes expectent. Hinc Moyses, Deut. XXXII. dixit: *Concresecat ut pluvia doctrina mea.* Isaiæ etiam cap. LV. verbum Dei comparatur imbri. Deinde, licet aliqui scientiam et intellectum habeant, non habent tamen rerum expeditam memoriam, et promptam voluntatem ad faciendum quod præcipitur. Adducant ergo ad concionem duas illas sorores suas, memoriam et voluntatem. Taceo quod aliqui putant se scire, cum non sciant quæ debent: alios norunt, seipsos ignorant. Vidit Nabuchodonosor somnium, et filius ejus Balthasar scripturam in pariete, non tamen intellexerunt; ac licet eis exposita sint a Daniele, adeoque perspecta, non tamen emendarunt se, ut ille elemosynis redimeret peccata sua, hic vero armis se defenderet et convivium desereret. Quid? Ipse David, illuminatissimus propheta, seipsum sine prædicatione Nathan expedire a laqueo peccati non potuit. Divitem, ovicum caprorem, mox censere et judicare novit; seipsum adulterum et homicidam non agnovit. Non solent neque debent ægroti medici sibi ipsis mederi: ab aliis curandi sunt; quia amore proprio facile excedimus, nimium indulgendo. Par ratio in cura animæ.

Secundo, alii de labilitate memoriæ suæ queruntur, quod non possint retinere ea quæ di-

CONCIO III.

FILII HUIUS SÆCULI QUANTUM LABORENT NIHIL CAPIENDO.

I. Ambitiosi. — II. Superbi alti. — III. Avari. — IV. Libidinosi. — V. Iracundi. — VI. Ebriosi et gulae mancipia.

THEMA.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. V.

Laboriosa est piscatorum ars, non tamen in jucunda quando bene succedit: quæ si nullo fructu fiat, non solum laboriosa, sed etiam tædiosa et molesta est. Queruntur Christi discipuli in hodierno evangelio de suscepto piscationis labore, quando nihil ceperunt: sed minime queruntur quando rete plenum piscibus attraxerunt. Labor eis jam suavis erat, qui prius amarus fuerat. Quis autem suavem reddidit, nisi Christi præsentia? Quis priorem amarum nisi ejusdem absentia. Quod Petrus ejusque socii egerunt, hoc agunt suo modo omnes mortales. Omnes enim piscantur ut bene beateque habeant; et omnes in eo laborant, boni et mali, qui Deo et qui mundo serviunt: sed non omnes æque laborant. Laborant boni, sed cum gaudio, quia fructuose et cum Christo piscantur, et in die piscantur: laborant etiam mali, sed cum molestia et mœrore, quia sine fructu, utpote sine Christo et noctu piscantur. Dulcis illis labor est, quia per Christum salutaris: amarus vero istis, quia absente Christo inanis. Verum non videntur piscatores mundi agnoscere labores suos in peccatis suis, quibus operam dant; proinde eis demonstrandos esse duximus.

I. Ambitiosi nonne maxime laborant? Laxant isti retia sua, ut piscentur honores et dignitates, primas sedes et honorum titulos, etc. sed dum eos capiunt et ad sese trahunt, mirum in modum laborant. Quis enim nescit ambitiosos nunquam quiescere, sed semper ad altiora tendere? Atque ubi ad ea perveniunt, sibi metuere? S. Augustinus, lib. 1. de divit. c. 1. ait: *Dum dominari appetunt, ipsa eis dominandi libido dominatur.* Non enim patitur eos quiescere, donec depressos videat, a quibus metuit. Patet imprimis in fratribus Josephi, qui cum ab eo audissent quod vel somniasset futurum eum regem suum, exæstuaræ ceperunt animis, et armare se contra eum, modosque excogitare quomodo eum perderent: *Numquid rex noster eris*, inquirunt, *aut subjiciemur ditioni tuæ?* Genesis XXXVII. Fastuosus ille Nabuchodonosor viderat in somnis admirabilem quamdam statuam, qua significabatur rex aliquis potentissimus; et inde mox; *Conterritus est spiritus ejus*, Dan. II. *Eccur vero?*

cuitur. Nota est doctrina illa senis cujusdam abbatis, in vitis pp. l. III. et V. apud Rosweid. qui fratrem conquerentem quod nil retineret ex auditu Dei verbo, jussit e duobus vasis unum aqua implere, rursumque evacuare, hocque sæpius repetere. Quæque interrogavit: *Utrum mundius esse?* Uterque respondente: *Vas, cui aqua sæpius infusa fuit, mundius esse altero, subjecit abbas: Pari modo etiam tu, licet non retineas audita, purior tamen audiendo evades.* Ad hæc tametsi ad tempus e memoria evolent quæ audita sunt, sæpe tamen in casu necessitatis eadem in memoriam recurrunt, et salutare consilium ingerunt; quo modo pincerna Pharaonis ad tempus quidem oblitus fuit Josephi, inter pretis somni sui. At post duos annos, ubi audit Pharaonem quoque somnium vidisse, recordatus est Josephi, Gen. XLI. Ita Cræsus, Lydorum rex, Solonis concionem (neminem ante mortem dici beatum debere) sprevit et oblitus fuit. At ubi captus a Cyro et pyræ cremandus est impositus, tum illius memor exclamavit: *O Solon!* magno suo bono; nam, audita exclamacionis causa, Cyrus ei vitam donavit, Herod. lib. 1.

Tertio, alii de loco, quod commodum non habeant, aut sedem paratam. Non videtur hæc querela sufficere coram Deo. Scimus enim in v. t. Hebræos nonnisi stantes verbum Dei audivisse, uti Exod. XX. § XVIII. Samuel quoque locutus ad populum: *Nunc ergo state*, inquit, *ut judicio contendam adversum vos*, 1. Reg. XII. Sic olim Christiani. Unde S. Augustinus, serm. XLIX. de diversis, suos auditores alloquens: *« Ut ergo, inquit, vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis: »* et homil. XL. inter L. *« Propter eos, ait, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, et quodammodo supplicavi, ut quando aut passionem prolixam aut certam aliquam lectionem longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter et cum silentio sedentes attentis auribus audiant. »* En Augustinus rogare etiam invalidos debuit, ut ad sedendum se componerent. Denique, Optatus Milevitanus, lib. IV. contra Parmen. de suo tempore ait: *Populus in ecclesia sedens non habet potestatem.* Certe ipse Christus Dominus concionem Joannis conferto populo stans audisse videtur. Ita enim Joannes ait: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, etc.* Joan. 1.

Quia metuebat, ne quis alius rex ipso potentior surrexisset; et proinde non quievit, donec vocaret omnes magos et ariolos, maleficos et Chaldæos, qui ipsi denuntiarent quidnam statua illa foret. Ecce vel in somnis visam unam statuam ferre non potuit, quin totus coherresceret, et undique vestigaret an regni sui emulum vel insidiatorem indicaret. Eandem ob causam turbatus est Herodes audiens alium Judæorum regem natum, nec quiescere potuit, donec infantum miserabilem stragem ederet. Quantum laboravit Absalon ut populum sibi devinceret, ejusque favore ad regiam patris sedem ascenderet? *Mane consurgens stabat juxta introitum portæ, et salutabat ingredientes, manum eis porrigebat et osculum infigebat, causas quoque eorum audiebat, et quasi destitutas judice dolebat.* II. Regum XV. Quorsum omnia hæc tam operosa, tam regis filio indigna? Ut subditorum suffragium pro sua promotione emendicaret. « O ambitio! (exclamat Sanctus Bernardus, libro III. de considerat. ad Eugen. capite 1.) quomodo omnes torquens omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat: » et Sanctus Ambrósus, libro IV. in Lucam: « Ambitio ut dominetur aliis, prius servit: curvatur obsequio, ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, fit demissior. » Plenus Innocentius papa III. lib. II. de contemptu sæculi, capite XXVI. « Ambitiosus, inquit, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, visis inclinatur, frequentat curias, visitat optimates, assurgit ac amplexatur, applaudit et adulatur. Bene novit illud poeticum: *Etsi nullus erit pulvis, tamen excutit illum.* Quorsum hæc omnia? Ut laudetur ab hominibus, et a singulis approbetur. » Quantum laborant alii ut sponsam sibi acquirant sua fortuna nobiliorem, quo per eam assurgant ad gradum altiorem, v. g. ut ex comite fiant principes! Certe propter hoc presentissima etiam vitæ discrimina adire sæpe non dubitant qui honoribus insidiantur. Scimus enim Davidem pro obtinenda regis filia, ad centum Philistinorum præputia comparanda inflammatum fuisse, I. Regum XVIII. Othonielem, pro Emerenda uxore, filia Calebi, munitissimam urbem Cariathsepher expugnandam aggressum, Jos. XV. Quibus addi potest Julianus apostata, qui cum lethali vulnere ex telo divinitus intortus percussus in Perside ad ripam fluminis jaceret, tametsi ob spretam religionem mori se fateretur, consilio tamen cum sacrilegis sacerdotibus habito, se clam in fluvium precipitem dare voluit, ut divinitus abreptus in cœlum crederetur, teste Nicephoro, libro X. capite

XXXVII. Taceo alios labores, quibus urgentur ambitiosi in conservandis suis eminentiis.

II. Nihilominus laborum suscipiunt alii superbi qui, ut placeant hominibus, corpus adornant. Sunt et isti piscatores, expandentes retia sua ut capiant et attrahant amasios atque amasias. Quid enim illa tot varia corpora ornamenta, nisi totidem retia? Sic certe appellat ea Isidorus Pelusiota, lib. II. ep. CCLXXXIX. Neque parum laborant in hac sua piscatione et corporis adoratione. Vere enim dixit Plautus: *Negotii quantum in muliere una est? Quæ noctes diesque, omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur.* Gravant sese auro, ut plane incurventur: onerant pedes calceis, ut sine difficultate et lapsus periculo, aut etiam absque succollantium subsidio nequeant incedere: stringunt corpus circulis et arcis adeo thoracibus, ut ægre spiritum trahant: corpus ipsum pigmentis et lavacris affigunt et enervant: innumera alia fastidia, dum comuntur, pectuntur et vestiuntur, sustinent. Quis hæc laboriosa esse neget? Bene S. Ambrósus, I. 1. de virginibus: *Si cervix, inquit, premitur, si gravatur incessus, nihil pretium juvat: nisi quod vos mulieres, ne pereat vobis pena, trepidatis. Quid interest utrum aliena sententia an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores quam qui publico jure damnantur; quod illi optant eam, vos ligari.* Optime profecto, quid enim interest, aureis graveris vinculis an ferreis? Qualia ergo martyres pro Christi nomine et cœlo pertulere vincula: talia ferunt superbi pro diaboli obsequio et gehenna. Optime hic quadrat quod S. Chrysostomus, hom. VII. in 1. epist. ad Timotheum scribit: « Timeamus, dilectissimi, ne verba illa terribilia audire contingat: ligate ipsi manus et pedes. Quid hoc tibi, infelix mulier, jam conspicaris, manusque et pedes vincire permittis? Nemo ex vinculatorum numero manus pedesque vincitur. Quid caput etiam obligas? Non sufficit manus pedesque vinxisse? Quid cervicibus quoque innumera imponis vincula? Omittit sollicitudinem quam ista secum invehunt, metum, anxietatem, rixasque, cum viro aliquando ipsis indigeant, mortem quam sustinent, si quid ex his perire contingat. Hæccine, obsecro, voluptas est? Ut alius oblectetur aspectu, tu teipsam et vinculis et curis atque periculis et angoribus, quotidianisque corrivationibus subleis. » Sic ille. Exemplo est regina Jezabel, quæ, ut novi regis Jehu captaret amorem et benevolentiam, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum: nihil autem aliud expansis superbiæ rebus cepit, quam ut præcipitaretur de fenestra, et a canibus devoraretur, IV. Regum IX. Sapienter igitur et facete simul de his talibus

Thomas Morus dixit: *Quam multi in hoc sæculo eo labore infernum mereantur, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent!* Cuidam etiam matronæ, quod se tetos dies ornare consuevisset, fertur dixisse: *Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum rependat, magna, me iudice, te injuria affecerit, ut in ejus vita, cap. XII.*

III. Avari quantum laborem in piscandis et trahendis ad se pecuniis, prædiis, possessionibus adhibeant, nemo est qui nesciat. Laxant illi imprimis et expandunt retia sua quam possunt latissime, quasi omnia ad se tracturi, quidquid vicini habent; quemadmodum verba illa Matthæi: *Relictis retibus suis, explicat Albertus Magnus, serm. de S. Andrea. Per rete, inquit, notatur avaritia, sive rerum concupiscentia; avaritia quippe est rete diaboli, quod expandit super faciem universæ terræ.* Atque hoc videtur esse quod sub typo retium quæ texunt araneæ, dixit Isaias, c. LIX. potissimum de avaris et nummorum aucupibus: *Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum.* Loquitur ad litteram de Hebræis, qui in Babylone constituti, varias artes excogitarunt et tetenderunt laqueos, ut pauperes et plebeios caperent, opprimerent ac devorarent. Hoc autem quis magis quam avari moliantur? Audite S. Ambrósium, in Psalm. XXXIX. *Cum videris aliquos, inquit, studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatibus, affectando decori, dices illud Isaiæ: Telam araneæ texuerunt, quæ diuturna esse non potest, etc.* Aranea quanto labore telam suam perficit? Centies in gyrum it, et fila ab ore deprompta mirabili industria affigit atque interim se eviscerat, adeoque enervat, ut vel muscam unam capiat. Idem negotium est avari, mundum et nundinas circuire, die nocteque cogitare et modos excogitare, quibus artibus aliorum, et fere pauperum solum, substantias intercipiat ac devoret. Dat mutuam sub fœnore, paratam offert pecuniam pro ipsorum fundis, premit exactionibus. Sed audiamus de hoc Divum Augustinum, in Psal. CXXVI. « Jubet, inquit, avaritia, ut mare transeas; et obtemperas, jubet ut te ventis procellicque committas: jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare. Quia avaritia imperat, servis: quia Deus jubet, odisti. » Deinde, ubi lucra comparavit, non fruuntur illis, sed quandoque etiam necessaria detrahunt ori suo. Quare optime Sanctus Chrysostomus, hom. L. comparat avaros cum iis, qui ad metalla damnati sunt. « Nullum, inquit, inde emolumentum, nullas

opes consequuntur, sed periculo magno atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, de labore et morte, quam plerumque obeunt, ad fructum suum inde convertentes. » Idem in lib. de patientia ostendit exemplo latronum, qui dies noctesque agunt insomnes, degunt in antris, expectant viatores in quavis cœli asperitate, ut transeantes spolient; certi quasi se tandem aliquando capiendos et tormentis excrucandos esse. Quæ retia non expandit Dalila Samsoni, ut argentum sibi a satrapis Philistinorum promissum piscaretur? Blanditiis delinivit virum, vinoque sopitum dormire fecit super genua sua: funes septem a Philisthæis petiit, quibus eum vinxit: crines ejus cum licio plexit, et adacto clavo ferræ affixit: denique, tonsorem vocavit, qui crines illi abraderet, Judic. XVI. tantæ molis erat promissum lucrari aurum. Quid dicam de laboribus, quos avari impendunt in opes conservandas, expendendas, augendas? *Has qui habent, inquit S. Prosper, I. 1. de via contemplat. c. XIII. sine labore non querunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Bene igitur Sapiens, Proverb. XXIII. monuit: *Noli laborare ut diteris, quando tot laboribus non parantur nisi labores.*

IV. Libidinem sectantes et ipsi expandunt retia, ut foedissimas carnis suæ capiant voluptates; et quot quantisque laboribus, timoribus, suspicionibus et curis! « Nam, ut S. Chrysostomus, hom. III. de verbis Isaiæ scribit, quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi iudicis ira, ubi gladius et carnifex, ubi barathrum ac deportatio? Omnia pavet metuitque qui talis est, umbras, parietes, ipsos lapides tamquam voces emittentes, omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius, si voles, tollantur hæc omnia; ponamus nulli notum esse flagitium, præterquam ipsi uni et mulieri quam adulteravit: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam et amarulentam accusatricem ubique secum ferens? » Quid enim non laboris suscipiunt, donec optatis potantur amoribus? Scimus Sichem illum principis filium, ut quam rapuerat, Dinam retinere posset, passum esse se cum suis circumcidi, Genes. XXXIV. scimus Amnon, ob incestum sororis amorem, contabuisse et macie attenuatum fuisse, morbum simulasse, nihilque non molitum, donec libidinem expleret suam, II. Reg. XIII. Et quis nescit quas non machinas

excogitarit et tentarit David, ut patratum jam adulterii scelus supprimeret, ne patefactum ingenti infamia ipsum aspergeret? 1. Regum XII. Uriam, ruzus uxorem violarat, e castris excivit, convivio excepit, inebriavit, et in domum suam remisit; sed cum hæc frustra essent, eum gladio filiorum Amnon exponit et neci dat. « Videte et admiramini, fratres, inquit S. Chrysostomus, hom. 1. in Psalm. L. quam malum sit delictis et peccatis obnoxium fieri: rex militem timet, et formidat subditum: imperator coronam capite gestabat, et confessionis opprobria metuebat. Nonne tu, imperator, nonne gladii potestatem habes? Habeo, inquit, sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem. » Neque minus patiuntur scortatores alii: quid enim de illis idem s. doctor scribat audiamus: « Jam, inquit, hom. 1. in ep. ad Rom. quid de scortatoribus dicas? Qui modicam ob voluptatem tantam servitutis turpitudinem, tantum pecuniarum sustinent sumptum: tum vero terrorem assiduum, breviter vitam Cain vivunt, seu verius dicam, illa etiam vita multo durior. Hinc præsentia pertimescentes, illinc futura formidantes, et amicos et inimicos, et consocios et minime conscios suspectos habentes: a qua quidem sollicitudine et anxietate, somnum quidem dum capiunt, eximuntur: somnia diversis timoribus plena identidem illis alternante ac renovante conscientia, sicque illos territante. »

V. Iracundi quoque habent suos non exiguos labores et discrimina vitæ, curis et anxietatibus plena. Laxant isti retia sua, ut capiant et in potestatem suam redigant inimicos suos. Sed quantæ molis et discriminis est hoc effectui dare! Pisces quidem dum capiuntur, nesciunt resistere; at vero inimici nostri armant se contra nos, si eos capere velimus. Quare iracundi magis venatores quam piscatores esse videntur. Venatores enim armati sclopis et venabulis adoriuntur feras, præsertim sævas et armatas, a quibus ipsi capi et mactari possunt: adhibent in auxilium molossos, clamores ciunt et terrores. Non aliter iracundi et vindictæ cupidi: arma enim expediunt et circumferunt, alios ad tuendas partes suas sibi sociant, et velut canes venaticos ad inimicum allatrandum incitant; quo modo Eudoxia imperatrix trahere ad se conata est episcopos, ut una secum persequerentur S. Chrysostomum, cui infensa erat. Exemplo est Rex Saul, qui cum odio haberet Davidem, quid non laborum suscepit, ut e medio eum tolleret? Investigavit eum non semel per altissimos montes et abruptissimas petras, solis ibicibus pervias: ingressus

est speluncas, oberrans cum trium millibus virorum, velut venator unam perdicem aut feram quærens: nec tamen quod quæsit invenit: sed ipse potius bis in manus Davidis incidit, ingenti suo pudore ac periculo. Denique, cur iram suam exerunt aut vindictam sumunt, quales ibi clamores! Quæ spumationes! Quæ cordis et faciei inflammatio! Quæ formido, qui conflictus! Quis labores hos suscipere, vel pro grandi oblata mercede, vellet? Quare de his proprie dictum videtur, Psal. VII. *Conceptit dolorem et peperit iniquitatem.* Cætera enim peccata concipiuntur et patrantur cum aliqua voluptate, tametsi post se relinquunt aculeum et dolorem: ab ira et vindicta tamen cum dolore et cruciatu concipiuntur ac perpetrantur. Unde in eum psalmi versiculum ait Divus Chrysostomus: « Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patiat; furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur; invadit timor, pavor ac tremor; quomodo offendet, quomodo rem perficiet, et ante eum, quem est injuria affecturus, seipsum perdit. Qui autem iram extulit, ab his omnibus liber est, et juri certe etc. » et mox: « Vides quam res sit facilis virtus, difficilis autem vitium: quemadmodum illa quidem est tranquilla, hoc vero turba et tumultu refertum! Hoc ergo describens dicebat propheta: Ecce paturit iniquitatem, conceptit dolorem et peperit iniquitatem. » Confirmat idem, hom. XX. in Matth. « Quis enim labor est, inquit, fratri indulgere conturbanti? Labor quidem in remittendo nullus, in retinendo vero inimicitias maximus. Siquidem iracundia liberari magnam menti reddit quietem, et valde hoc est facile volenti. » Denique, de iracundis ait Eliphaz: *Vere stultum interfecit iracundia,* Job. V. h. e. jugulat, conficit, cruciat, mactat. Sensit hoc Saul, infensus Davidi: sensit Antiochus, infensus Hebræis: sensit Herodes, Christo infensus.

VI. Ebriosi et gulæ mancipia piscantur cantharos et patinas: ad hæc capienda laxant quasi retia, ventres et abdomina sua; nec tamen sine labore, atque multiplici. Laborant imprimis se ingurgitando supra appetitum, imo ad nauseam, atque ut appetitum helluandi instaurent, vomunt cum molestia et cruciatu, falsiuscula comedunt, quæ eundem æuant, ut postea rursus vomant; atque istam, velut equi aut mancipia, veniunt et trahunt. Unde Plutarchus, in lib. de præcept. salubr. ait: « Vulgus hominum, qui vacationis gratia implent corpus, et vice versa, explendi gratia invita natura, evacuant, ingluvie non

minus, quam inanitate torquentur, imo vero, tamquam deliciarum vinculo, gravantur ingluvie; inanitatem semper ut locum voluptatibus machinantur. » Cruciantur ergo siti et fame cum manes sunt; cruciantur cum repleti sunt; ut difficile respirent, difficilius se evacuent. *Vocem amittunt,* ait Divus Ambrosius, de Elia et jejuna. *colore variantur, oculis ignoscunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.* Et quæ non pericula incurrunt in ipsa ebrietate? Et postea quas molestias, debilitates et morbos? Vere Sapiens, Prov. XXVI. *Quomodo si spina nascatur in manu ebriosi,* Septuaginta legunt: *Spina nascuntur in manu temulenti;* quia suis vulnerantur poculis, ut explicat D. Ambrosius, lib. II. ep. VII. Quoties ergo poculum ori admoves, toties tibi spinas infigis.

CONCIO IV.

STIMULI AD PERFECTIONEM QUÆRENDAM.

- I. Exigit perfectionem a nobis natura. — II. Eandem exigit Deus. — III. Exigit Christus. — IV. Exigunt majores nostri, primi Christiani. — V. Exigimus nos ab aliis.

THEMA.

Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

Luc. V.

Videor mihi in hodierno evangelio videre typum quemdam status civitatis nostræ: et quidem in Christo Domino, qui primo stabat secus stagnum Genesareth in terra; sed quia ibi plebs obruebat illum, ut persistere non posset, inscendit in naviculam Petri, petiitque eam a terra reduci pusillum, et inde docuit plebem. Denique, in altum mare duci jussit, ubi non solum piscium multitudinem, sed et Petrum ac socios cepit, et discipulos suos effecit. Civitas hæc nostra ante quinquaginta annos quo loco steterit, nostis vel audistis: in compressione nimirum hæreticorum, qui eam ita presserunt, ut plane opprimere velle viderentur. Ergo per Dei gratiam mutavit statum et ascendit in naviculam Petri, adeoque a turba illa hæreseos et vitiorum abducta est: sed quid si adhuc pusillum? Infirmi adhuc multi sumus, neque adeo in virtutibus solidati; spectant adhuc aliqui e propinquo terram et terrena bona. Quid igitur? Ad tertium locum cum Christo pergendum est: *Duc in altum,* ad perfectionem. Voluit Christus secum in altum duci quotquot in navi erant; neminem excepit: similiter vult nos omnes ad perfectionem tendere. Ita enim ipse ad omnes dixit, Matth. V. *Estote erud vos perfecti, sicut ei Pater vester cæ-*

lestis. Ita docuit et Petrus, in epist. 1. *Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam ego sanctus sum:* ita et Jacobus, c. 1. *Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Verum huic doctrinæ contradicunt multi, qui putant sibi ad perfectionem minime connitendum esse, sufficere sibi stare in medio vel imo gradu; qui sane non parum errant, siquidem perfectionem exigunt a nobis multi, ut videbimus.

I. Ergo conatum ad perfectionem exigit a nobis ipsa natura; in qua videmus omnia viventia crescere et proficere cum ætate: plantas, bestias, hominem quoad vires et staturam corporis, cur ergo non etiam crescat secundum animam? Ac licet aliqua horum terminum habeant, propter defectum nutrimenti, homo tamen, secundum animæ incrementum, terminum non habet, sed tota vita crescere in virtute debet; quo modo crocodili tota vita crescunt, teste Plinio, lib. VIII. cap. XXV. et pisces maris quia pabulo abundant, teste eodem, lib. IX. cap. XV. et Aristotele, lib. VI. animalium, cap. XVII. His ego similes esse homines, juxta id Habacuc, 1. *Facies homines pisces maris;* adeoque semper crescere debent, donec mortis sagena conclusi educantur ad alterum sæculum.

Ratio est primo, quia tota vita nostra cursus est ad bravium: finis hujus cursus mors est: *Dies nostri,* ait David, 1. Paral. XXIX. *quasi umbra super terram, et nulla est mora.* Umbra una cum cælo semper promoventur: nunquam stat. Sic se habeat cursus hujus vitæ ad alteram beatam, nullam admittat moram; semper in motu sit ad majorem et majorem consequendam perfectionem.

Secundo, quia nisi proficiamus, mox incipimus deficere: nisi in altum perfectionis duamus, ad imum defectionis relabemur. Qui enim non proficit, deficit, teste Sancto Gregorio, parte pastoralium, cap. XXXV. « In hoc quippe mundo, inquit, humana natura quasi more navis contra ictum fluminis condescendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur: quia ad ima relabatur, nisi ad summam conetur. » Item ostendit Sanctus Bernardus, epist. XCI. ad abbates, ex visione scalæ Jacob, in qua angeli vel ascendebant vel descendeabant; nulli stabant. Ratio est quia natura nostra per originalis peccati labem ad peccatum inclinata est; unde nisi perpetuo ad virtutem incitetur, suapte fragilitate paulatim cadit et desinit. Similiter qui artem aliquam seu linguam addidit, is aut proficiet in ea aut deficiet; si enim crebro eam exerceat, verbi gratia, organicen, quam didicit, exteram, in eam perficiet: si non exerceat, sensim obliviscetur.